



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

10 Episcopi gloria est pauperibus providere, & ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

vivit? nemo potest queri, quia captivi redempti sunt, nemo potest accusare, quia templum Dei est ædificatum, vel cœmeterium ampliatur, quia in alimonia pauperum, redemptione captivorum, ædificatione templi, vel augmentatione cœmeterii, possunt bona Ecclesiæ alienari. *cap. sacrorum & cap. aurum.* & ibi gloss in *ver. in his d. q. 2. Fed de Sen. cons. 224. num. 5.* Et gloria Episcopi est pauperibus providere, ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis. *cap. gloria* ¶ *Episcopi ead. q. 2.* & pluribus aliis de causis possunt bona ecclesiastica certo modo & in subsidium, quando necessitati aliter succurri non potest, alienari, de quibus per *Rebuff. in suo compend. alien. rer. eccl. a num. 25. usque ad num. 34.* & per *Red. q. 11. 12. 13. 19. 20. & 21. eod. tit.*

¶

Et, quoniam dominia ¶ civitatum, & castrorum S. R. E. propter custodiam, & præsidium in eis maxima cum impensa¹² manutendum magis damnosa, quam utilia, quandoque dicebantur, propterea, adhibitis solemnitatibus juris, plura in feudum fuerant concessa, quæ, si tractu temporis ad Ecclesiam devolvebantur, iterum de novo aliis sine solemnitate concedebantur, quia eadem causa prima durare videbatur, & ultima investitura non judicabatur nova alienatio, sed prioris infeudationis continuatio *cap. consuluit. de iude. & sarrac.* & ibi *Abb. num. 1. Felyn. inc. cum accessissent. n. 33. de cons. & Red. de reb. eccl. non alien. q. 12. num. 59.* Sed, cum postea experientia docuerit, nonnullos nimium ambitiosos, & dominandi cupidos

sub variis prætextibus, coloribus, & eausis sæpe etiam falsis, aliquibus Romanis Pontificibus, suggestionibus, & insinuationibus suis conatos esse ostendere, & persuadere, magis utile, & expediens Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Sedi Apostolicæ fuisse, si aliquæ civitates, terræ, oppida, castra, arces, & loca, ad jus, & proprietatem ejusdem Sedis pertinentia, in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemvis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut aliàs ad longum tempus concederentur, vel etiam ex eo, quod aliàs in feudum data, aut quovis alio titulo hujusmodi alienata fuissent, & ad sedem præfatum devoluta, vel devolvenda, de jure iterum infeudari, & alienari non posse, & debere, atque inde nonnullas alienationes, infeudationes, & concessiones à Sede Apostolica emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem patrimonii, & existimationis recepit;

¶ Pius V. motu ¶ proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, atque de S. R. E. Cardinalium in consistorio secreto consilio, & unanimi assensu, qui etiam jurarunt constitutioni non contravenire, nec Pontificibus alienationes contra suam constitutionem attentantibus consentire, & absolutiones à juramento prædicto non petere, nec acceptare, sua perpetuò valitura constitutione deerevit, & declaravit, civitates, & loca præfata hæcenus in feudum, aut quemvis alienationis titulum dari solita, vel consuetata ad Sedem prædictam quomodolibet devoluta, & pro tempore devolvenda, absque alia ulteriori declaratione, & illorum possessionis apprehensione, eo ipso Sedi,